

Letter 332: 15 June [1527], Paris, Pierre Toussain to Capito

Original autograph is in the British Library, London, Add.ms. 21 524, f. 176, no. 73.

Charissime Capito, superioribus diebus recepi literas tuas, quibus nihil posset accidere iucundius. Rufus ad te scribit in presentia et ad Bucerum, quare non est ut te multis obtundam, et scire poteris ex eo qui tibi has literas reddidit quid hic agatur. Ille quid scribat nescio. Caeterum hoc unum scio, plurimum his esse verborum, fidei et charitatis minimum, et christianos aulicos sua
5 quaerere, non quae Iesu Christi; item Reginam Margaretam nupsisse viro, cui placere cupit potius quam Iesu Christo. Quibus omnibus parum sum gratus, quod ad haec communicare nequeam, sed manet in aeternum veritas, cui serviendum est potius quam mendacio. Tempus non patitur ut plura ad te scribam. De fortuna et rebus meis si quid scire voles, scies ex hoc
10 tabellione. Vale et saluta mihi etiam atque etiam charissimum fratrem nostrum Bucerum, Simonem et reliquos. Parisiis XV Iunii.

Servus tuus Petrus Tossanus.

Proximis literis tuis hortaberis me ne vestro de eucharistia dissidio moveor. Certe, mi
Capito, omnino non moveor tam facile, gratiam Christo. Si moveri possum, multa hic sunt quae
15 me urgent, sed potens est Dominus ad servandum me. Salutem plurimam dices uxori tuae meis verbis.